

2. D. B. V.

AD

EXERCITATIONEM STILI SUBLIMIS

IN

**RENOVANDA MEMORIA IMPE-
RATORIS PII, JUSTI, SANCTI,**

JUSTINIANI I.

DIE CRASTINO

HORA MATUTINA NONA,

IN

AUDITORIO MAJORI,

E MEMORIA INSTITUENDAM,


VENERANDOS DNN. INSPECTORES,

**PATRONOS, FAUTORESQUE REI LITERARIAE NON
MINUS QUAM JURISPRUDENTIAE CIVILIS**

officiose & amanter


invitat

M. GEORGIUS ANDREAS Winhof/ Rector.



CYGNÆ.

Literis Viduæ Büschelianaæ.



26.



X quo pater Augustinus, aut quisquis ille fuerit, cum Hipponensium animabus ad civitatem DEI pertinentibus, tum aliis in terrarum orbe dispersis pietatis studium instillare cœpit, proposita gemini speculi imagine: (a) quam quidem meditationem seculum quintum post recuperatam salutem vidit: ex quo Cantuariensis Archi-Episcopus S. Anselmus seculo undecimo speculum Evangelici sermonis sive stimulum amoris scriptum reliquit: ut incitamento esset piis ad preces ardentissime fundendas; (b) et Claravallensis Abbas, Bernhardus, quem ipsum solitaria vitæ amatorem seculum duodecimum imprimis æstimavit, Monachorum composuit speculum: (c) in quo religiosis hominibus, quæ ipsi utilia visa sunt, documenta daret: Hugo autem de Sancto Victore Bernharδο æqualis natione Saxo & Monachus de mysteriis Ecclesiæ speculum publicari sua manu confectum voluit: (d) inde usque speculorum inuentio adeo placuit scriptoribus: ut nonnullorum ingeniorum progenies libeater ingenioso speculorum nomine nascerentur, inque hanc mundi lucem prodirent. Et sane librorum pariter & speculorum, si quis rem secum accuratius consideret, eandem fermentationem, neque disparem conditionem esse intelliget. Nam siue materiam respiciat specularem: aurum, argentum, vitrum, lapides, chalybem, æs, cuprum, lignum quoque & similia inveniet: sive formam contemplerit: plana, convexa, concava, angulata, rotunda, conica, pyramidalia usu Magistro specula deprehendet: sive denique finem commodumque, quod à possessoribus intenditur, ad mentem revocet: modo voluptatem ac delectationem, modo ornamentum, modo iudicium pulchritudinis aut deformitatis, modo sordium, macularumque, vel contra puritatis examen quasque normam offenderit. Jam vero quantum discrimen inter tot diversitates ingeniorum intercedit? qualem differentiam constituit ipsa eruditionis mensura atque modus? dum alius stylo aureo, alius argenteo, alius vitreo, aeneo, ferreo, ligneove scripsisse; alii rursus maiorem alii operam laboremque impendisse & limam videntur: ille item via plana & vulgari; alter inflexa, & ad artem magis composita; hic terso rotundoque ore; iste sæcunda disserendi vena aut contra verborum sterilitate incedens; hic anfractus quasi aut lacunas etiam consulto instituens declarat, singularem ac propriam sibi à natura personam impositam esse, Studiorum porro voluntates tam diversæ sunt, & tam contrariæ, ut paucissimi recto itinere ad virtutem entantur; multi sua duntaxat libidine, suaque utilitate abrepti desudare in summa laude ponant: plerisque id accidat, quod Romanus Orator ait: vix invenitur, qui laboribus susceptis, periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. (e) Inter eos, quorum hoc in genere labos præcæteris laudatur, primas meretur, si molem spectemus, Burgundus ille Vincentius, cognomento Bellovacensis (non ab Episcopatu illius urbis sic dictus, sed à frequenti in ea commoratione) (f) quem propterea ut speculum quoddam illustre reliquorum speculariorum æstimare haud nefas fiet. Hic anno 1250 sumtus ferente Ludovico IX, Francorum Rege quadripartitum concinnavit speculum, doctrinale, quod à primis Grammaticorum elementis ad Theologorum ascendens sacraria omnium scientiarum opulentum apparatus pollicetur; historiale, quod res gestas exponit à primordio orbis ad annum Domini 1244. productum; naturale, in quo res à DEO creatas uberius prosequitur; morale, cui multa de perturbationibus animi, de legibus, de gratia, de vitiis & virtutibus copiose inseruit. Scilicet vir industrius evolvendis Theologorum, Philosophorum, Pœtarumque libris, apud matutinæ instar, longo studio multaque temporis impensa flores fragrantissimos legit, lectos unum in corpus redegit, tanquam in cellas: ex quibus ea sibi pervasit congestisse, quæ, ut ipse loquitur, imprimis conducant vel ad fidei Pontificiæ dogmatis adfructuionem, aut divinorum scripturarum mysticam expositionem vel etiam ad ipsius veritatis manifestam & Symbolicam declarationem Unde illud opus fructuosum confidit fore non solum ad DEUM per se & creaturas visibiles & invisibiles agnoscendum, ac per hoc diligendum, ac cor suum in devotione charitatis multorum Doctorum ignitis sententiis & exemplis excitandum; verum ad prædicandum, ad legendum, ad disputandum, ad solvendum, & ad unumquemque fere modum & genus artis mere explicandum. Et, nisi fallor, universæ speculum sapientiæ autor in animo habuit, cum se isti curæ traderet; cuiusmodi forsitan Bynæus doctissimus in laudes politiorum literarum, & ad redarguendam Scholasticorum barbariem festive excogitavit, quando Mercurium

finxit

(a) *8. Tom. 3. speculum. Tom. 9. speculum peccatoris.* (b) *Tom. 3. oper. ejus.* (c) *Oper. ejus.* (d) *Tom. 3. oper. eius.* (e) *Cic. off. 1.* (f) *Labbe Dissert. Hist. d. scriptor. Eccles. tom. 2. p. 478.*

fingit in somno narrasse sibi, Apollinem speculum suum, quo, quicquid usquam contigisset aut extitisset in literis, uno obtutu cerneretur, Criticis dedisse; quod satis æque Theologis, Jureconsultis & Medicis ferentibus, soli ægerrime tulerint Philosophi. Se vero interea, Mercurio monstrante viam, delatum ad templum augustissimum, in eoque Philosophorum ac Criticorum turbam conspexisse, acriter concertantem, utri parti doctrinæ speculum Apollineum cedere debeat, ad tribunal divæ Sophiæ e Philosophis causam dicente quodam Febriculano, Criticorum causam orante Josepho Scaligero: cui Dea assurgens, speculum, quod Apollo commiserat, Criticis relinquendum esse pronuntiaverit. (g) Neque sine causa factum puto, quod inter tres magni hujusce speculi editiones, quas Basilea, Venetiæ Duacumque adornarunt, Duacena seorsum apud Bellerum hoc titulo præmuniatur: Bibliotheca mundi: quodque Trithemius, Spanhemensis Abbas, Vincentium supra alios omnes exollar, quasi non habuerit parem, opusque speculorum grande & admirabile vocet, de omni, ut ait, rescibili in multis voluminibus comportatum. (h) Enim vero licet Pansophiæ quandam & corpus omnis eruditionis formare constituerit Vincentius; neque nulla exponat, quæ notari digna, lectu non injucunda: quæque interpretem juvare possint: facile tamen quivis haud lascivus videt, speculum Vincentianum ad ea referri oportere, quæ specie majori res oppositas representant, & quam pro re, cuncta angustiora faciunt. Nihilominus quatuor illa specula suo ævo & posteris temporibus spectatores non minus, quam imitatores excitare, qui sæus suos, quos Minerva obstetricæ pepererunt, eodem nomine illustriores reddere laborarunt. Quorum ex numero metæ præfixæ memor specula duntaxat Principum quædam, & quæ præter pietatem Principum præcipua cura esse debet, prudentiæ justitiæque præstationis loco adducam.

SPECULUM Imperantium (Regenten-Spiegel) omnium luminibus exposuit D. Joh. Balthasar Schupffius, undecim percurrens libri primi Regum capita, quæ in sacris pandectis continentur. Illic enim sapientissimus Regum idemque fortunatissimus Salomon satis lucide expingitur: quæ sapienter ab eo dicta, annotantur: quæ prudenter consulta, perscribuntur: quæ feliciter facta, literis mandantur: quæ vitiose commissa, non prætereuntur. Et Schuppius, præterea magni Regis facinoribus genium indidit, aulæ larvas detexit: mores aulicorum subinde mordaci etiam sale condidit: beneficia præconio digno ornavit: male facta perstrinxit, & ita quidem perstrinxit, ut ipse non in cathedra, sed in aula sedisset, & arbitrum se aut certe speculatore consuetudini Principum immiscuisse videatur. Verbo, Schuppianum istoc, speculum eo loci, si tua, lector, cum venia potest fieri, reposuerim: ubi specula asservantur ita limata, ut res dissipatas admodum concinne colligent: colligatas autem vel millies multiplicent.

SPECULUM Principis civiliter boni in vita M. Antonini Imp. Conradus Rittershusius omnibus Principibus perlustrandum submitit, oculosque gravissimè occupatos curis non ad Platonem, non ad Aristotelem, non ad Tacitum Bodinumve aliquem adduxit, sed in æqualitate fortunæ morum quæsitâ similitudine illustrissimum Antonini exemplum supposuit. Unde Principes præcipue se intueri discant: unde sibi suæque reipublicæ, quod imitentur, capiant: sædum inceptu, sædum exitu, quod sit, vitent: ad quod vitam suam velut ad normam componant, probe circumspicientes quam procul, aut quam prope à tali perfectione absint. Nihil enim formosius cogitari potest choro illo virtutum, in quibus hic Imperator floruit, pietate erga divinum Numen, tum erga parentes & Præceptores, castitate, & æquitate animi atque constantia, mansuetudine ac moderatione, animo ab avaritia vacuo & alieno, frugalitate, diligentia non solum in studiis curandaque valetudine, verum etiam in omni vita, amore denique & cura bonæ famæ: vix ut ullus vel justitiæ vel humanitatis, vel aliarum virtutum tot tantaque exempla ediderit. (i) Itaque speculum Rittershusianum non pyramidalibus inseratur speculis. Hæc enim objectas etiam deformitates, si artem lucis & umbræ admoveas, longe pulcherrimas ad contemplandum proponunt. At Rittershusius nativa pulchritudine contentus Antonini sui, secus quam Gevara, nihil effinxit, nihil esuo cerebro exsculptum apposuit.

SPECULUM prudentiæ & virtutis civilis Henricus Ernstius promittit in vita T. Pomponii Attici, quam à Cornelio Nepote expressam notis suis amœniorem

fecit
 (g) *Somnium d. Landubii Critices in calce libr. de calceis Hebræorum.* (h) in Catal. Sancti. Eoclel. p. 86. (i) opuscul eius Salomon. (k) Causub. in not. ad Hist. Aug. Script.

FK 77/404
x 290 6902
fecit. Sed cum vir doctissimus, sine dubio interclusus tempore, præter Philologicas & Chronologicas quasdam observationes nihil attulerit: speculum Ernstianum ad classem quadratorum & rotundorum quidem pertinebit speculorum, eo quod Nepotis Attici vita extra controversiam specimen illustrissimum fore civiis & domesticæ prudentiæ, in qua profecto, si à sacris abeas & humano more judices, humanæ felicitatis basis, vt in figura cubica, & omnis perfectio morum, vt in figura rotunda Mathematicorum fulcitur & continetur: sed ornamentum adhuc adventitium desideratur, quo speculum Pomponianum quasi conuestiatur.

SPECULUM veri & boni Icti, Consiliarii atque Politici filio in memoriam perpetuum Tobias Oelhafius de Schöllnbach, Patrius Noricus, obtulit, conscripta oratione panegyrica eo tempore, cum filius Georgius Tobias Oelhafius summum in iure utroque gradum consentientibus patrum Academicorum suffragiis adipisceretur. Quæ inauguratio in annum 62, superioris seculi incidit, speculorum hujusmodi post se reliquit: quod cum speculum diceretur, & esset, speculi tamen naturam non omnino assumit. Nam repudiantur specula, quæ colorem suum in faciem insipientis transmittunt, sic ut v.g. opposita persona à livescente vitro liuorem, à flavescente flavedinem ducat. Sed paternus amor in Oelhafio sene incalescens tale præparavit speculum, quod colorem suum omnem in filium transfunderet, neque suam vim ac præstantiam exeret, nisi discrimen inter utrumque quoad internum habitum tolleretur.

SPECULUM iudiciale Guilielmus Durandus, Episcopus Mimatensis Henricique Hostiensis quondam auditor & discipulus, iustitiæ sacerdotibus exposuit: ut sanctæ Themidis filii ante oculos haberent, quod sibi cavendum, quod sequendum, quod declinandum existimarent: Utque singuli strenue suo officio incumbere partim in iudiciis ordinariis, partim in reliquis, quæ extra ordinem insituuntur: iudices, ne ab hoc speculo in lumen auri aut argenti colorem splendendum retorquerent oculum: Advocati, ne puritate animi desicerent, quin potius maculas ab avaritia adspersas mature abstergerent: tabelliones postremo, partes, testes, ceteræque personæ ante tribunal comparentes, ne sine timoris à Numine profecti radis accederent, & vt legis fulgorem vultu constanti intuerentur: quo & in civilibus & criminalibus ac in singulis iudiciorum capitulis sua quicquæ officia rite moderetur. Videor autem de Durandi speculo id affirmare posse, quod de angularibus experientia ostendit, ea videlicet totidem imagines mentiri unius rei, quot angulis constare deprehenduntur.

SPECULUM accusationum forensium (richterl. Klag-Spiegel) publice suspendit Sebastianus Brandt, Doctor & Cancellarius civitatis Argentoratensis. Vertit enim & auctiorem reddidit librum Tengleri amici sui, & propterea à speculando denominavit, quod sicut in speculo omnis forma oblata exhibetur: ita in illo libro tota accusationis iudicialis ratio continetur. Formas enim & modos accusandorum reorum in foro vitatos & responsiones rei atque iudicis ex divinis humanisque juriis collectas complecti studuit: idque in eorum & gratiam & subsidium & cautionem, quibus in foro litigandi occasio præbetur. Judicet B. L. annon Brandius nomini reponitur suo uret potius violatorem iustitiæ, quam instruere & à malo proposito deterere conatus sit, & urens quoddam speculum curioso seculo asfigere, cui simile ex ære fabricasse Proculus quidam siue Proculus memoriæ proditur, quod ajunt sagacis hominis consilio è muro suspensum, & quidem e regione navium hostilium: in quod simul radii solares impigissent, ignem inde fulminis instar erumpentem tam classariosquam naves ipsas combussisse, quemadmodum Anathasius Vitaliano Thraci, qui Mytis & Scythis conciliatis sibi seditionem movit, per Mariannum Præfectum restitit, pugnaque navali commissa, classis è machina Procli debellata est: quam artem Proclus ab Archimede Syracusano hausisse videtur (l)

SPECULUM quoque Saxonicum (der Sachsen Spiegel) ejusmodi formam specularem sinit, quod multis augmentis & uberiori commentario 1528 gentem Saxonum vicinasque exilaravit, Sobelique potissimum opera 1569, resectum ac denuo politum noua quadam luce coruscavit. (m)

SPECULUM Laicorum (Layen-Spiegel) Udalricus Tenglerus, Præses Altipontanus ordinationes civiles poenarumque jura appellavit, postquam ex ipsis iustitiæ fontibus duce sapientia, comite lege, causas forenses illuminare, tenebrasque obstantes, pulsa recti ignorantia, fugare docuit, simulque decorem Germaniæ radiosque debitos bonis auspiciis reddidit. Non igitur est speculum, ut ait Locherus Philomolus, manu fabricatum, non ex materia corruptibili, sed hoc iustitia effinxit, prudentia sanxit, æquitas est commenta. Ex eo non hominum vultus aut imagines, sed animorum representantur.

SPECULUM Notariatus (Notariat-Spiegel) M. Abrahamus Saurius composuit, in aula Hassiaca Marburg. Advocatus ordinarius, qui libellus a filio ejus M. Conrado Gebhardo Saurio 1594. editus est, & in curis Notariorum ante munus acceptum & in accepto jam munere gerendis versatur, ut illi suas vires, suas obligationes in eo tanquam in speculo collufferent.


SPECULUM Notariorum, Tabellionum & Scribarum ad communem eorum utilitatem a Scævola Tyunculo diebus canicularibus, ad instar recollectarum spicaram congestum, 1518. Lipsiæ impressum est, constans viginti duabus questionibus. De quibus plura dicere festinatio prohibet, quandoquidem nos ad se trahit Speculum illud boni Principis IMPERATOR JUSTINIANUS I. de cuius rebus gestis & consiliis oratione Latina dicturus est

SIGISMUNDUS GOTTLIEB HILLIGERUS, Dresdensis.

Cuius de moribus atque industria sicut supervacuum putamus hic verba facere: ita auditorum frequentium benevolentiam bene nobis spondemus P. P. Cygneæ d. 26. Febr. 1705

(l) Zonar. Annal. tom. 3. p. 29. (m) Catal. biblioth. publ. Logduno-Batav. libr. jnrud. in fol.

103 (0) 87



FK 174
18

Specula Politica.

№ 404

2. D. B. V.

AD

EXERCITATIONEM STILI SUBLIMIS

IN

**RENOVANDA MEMORIA IMPE-
RATORIS PII, JUSTI, SANCTI,**

JUSTINIANI I.

DIE CRASTINO

HORA MATUTINA NONA,

IN

AUDITORIO MAJORI,

E MEMORIA INSTITUENDAM,

VENERANDOS DNN. INSPECTORES,

PATRONOS, FAUTORESQUE REI LITERARIAE NON

MINUS QUAM JURISPRUDENTIAE CIVILIS

officio & amanter

invitat

M. GEORGIUS ANDREAS Winbold Rector.



CTGNEÆ.

Literis Viduæ Bücheliana.



26.